

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich zu erläutern!

I. Übersetzung

Im folgenden Text erläutert der Dichter am Beispiel der Sonne den Zusammenhang zwischen Wettererscheinungen und politischen Entwicklungen. So reagiere die Sonne auf solche Ereignisse bzw. warne vor ihnen.

[...] Solem quis dicere falsum
 audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
 saepe monet fraudemque et operta tumescere bella; 465
 ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,
 cum caput obscura nitidum ferrugine textit
 impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
 [...] Non alias caelo ceciderunt plura sereno
 fulgura nec diri totiens arsere cometae.
 Ergo inter sese paribus concurrere telis
 Romanas acies iterum videre Philippi; 490
 nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
 Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
 Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
 agricola incurvo terram molitus aratro
 exesa inveniet scabra robigine pila, 495
 aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis
 grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.
 Di patrii Indigetes et Romule Vestaque mater,
 quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
 hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo 500
 ne prohibete. Satis iam pridem sanguine nostro
 Laomedontaeae luimus periuria Troiae;
 iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
 invidet atque hominum queritur curare triumphos,
 quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem, 505
 tam multae scelerum facies, non ullus aratro
 dignus honos, squalent abductis arva colonis,
 et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
 Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
 vicinae ruptis inter se legibus urbes 510
 arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe,
 ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
 addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
 fertur equis auriga neque audit currus habenas.

V. 492 Emathia und Haemus sind eine Landschaft bzw. ein Gebirge in Nordgriechenland, wo Pharsalos bzw. Philippi lagen.

V. 507 squalere – hier: brachliegen, wüst und unbebaut bleiben

V. 510 lex – hier: der Vertrag

V. 513 addere in spatia (= spatia in spatia) – Umlauf auf Umlauf vollenden

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Geben Sie eine metrische Analyse der Verse 498 f. (**Di ... servas**)!
2. Welcher Modus liegt in **ne prohibete** (Z. 501) vor?